



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

18. Qui credit in eum, non iudicatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

solùm propter remissa peccata: & in vtroque beneficio constat salutis nostræ certitudo.

18. *Qui credit in eum, non iudicatur.*

CONFIRMANT ex his verbis suam solam saluantem fidem *Contra sō*
 hæretici: & vertunt Calvinus ac Beza, *Qui credit in lam fidem*
eum, non condemnatur: quum verbum Græcum sit *πιστεύει*, *saluārem.*
 quod propriè significat sententiam accipere, siue approba-
 tionis siue condemnationis; non *καταπιστεύει*, quod propriè
 significat condemnationis sententiam accipere. Sed vt *πισ-*
τεύει accipiatur hoc loco pro condemnari, non tamen docet
 hoc solo nomine à condemnatione liberos omnes esse, quia
 credunt. Credere in Christum, non est, vel solam fidem ha-
 bere, & totam doctrinam Euangelicam credere, vel, vt Calui-
 nus hîc exponit, *fiduciā & certitudinem salutis concipere*, sed
 est credendo in Christum tendere, & fidem per dilectionem
 operātem habere, ac deniquè regenerationem in nouā vitam
 coniunctā tenere, vt suprâ Calvinus agnoscit. Postremò *non*
condemnari, hoc loco non significat ab omni-damnationis *Hæreticō*
 sententia in perpetuum immunes esse, ac de salute certos (in *rum cras-*
 quo mirificè falluntur hæretici) sed hoc solum significat, ab *sum & per-*
 illa damnationis sententia liberari credentes in qua nati sunt, *nicio sist-*
 vt non sint iam amplius filij iræ, sed filij Dei, accepta videli- *mus error.*
 cet remissione peccatorum, & gratia renouationis donari. Sic
 enim Deus credentes non iudicat, id est, actum iustitiæ in
 eos non exercet, relinquens eos in statu perditionis; sed illis
 miseretur, & actum misericordiæ exercet, vocans in statum
 adoptionis filiorum Dei, & faciens illos filios acquisitionis.
 Denique non iudicatur aut non cōdemnatur qui credit, quia
 transit à morte ad vitam, nec manet in statu damnationis.
 Hunc sensum genuinū ac literalem alia Christi verba mani-
 festè docent. Infrâ Ioan. 5. *Qui credit ei qui misit me, habet vi-*
tam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in
vitam. Hæc est prima gratia credentibus data; cum qua & in
 qua gratia si perseverāt, tunc certo saluantur, & finaliter non
 condemnantur. *Qui enim perseverauerit usq; in finē, hic saluus* *Matth. 10;*
erit. Et Paulus: *Participes Christi effecti sumus*: id est, transiui- *Heb. 3.*
 mus à morte ad vitam, & in iudicium non venimus, & ha-
 bebimus vitam æternam in spe & in radice, *si tamen initium*
substantia eius, id est, iuchoatam in nobis fidem, quæ est
substantia verum sperandarum, usq; ad finem firmū retineamus. *Hebr. 11.*

Cap. pref.
ver. 36.

Rom. 4.

Hoc sensu qui credit in Christum, non iudicatur, id est, ad misericordiam non ad damnationem vocatus est. Sic infra Iohannes Baptista quum dixisset, *Qui credit in filium, habet vitam aeternam*; quo sensu hoc dixerit, à contrario demonstrat: *Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*; id est, manet in statu iræ & damnationis in qua natus est, non liberatur ab illa ira, ut sit filius & hæres vitæ æternæ, sicut ille qui credit liberatur. Sed hæc liberatio non est adhuc nisi in spe gloria filiorum Dei: quæ spes probatione, quam adfert tribulatio, robotatur, & perseverantia finali concluditur.

36. *Qui credit in filium, habet vitam aeternam.*

Sola fides
reijcitur.

Caluini
artes.

Non reno-
uamur fi-
de, sed Spi-
ritu Dei.
Tit. 3.
2. Cor 4.
Coloss. 3.

Hic iterum sua toxica admiscet Calvinus, & sanctum Euangelium pestilenter corrumpit. Quod vita (inquit) causa vocatur fides in Christum, inde colligimus in solo Christo vitam contineri, neque eius aliter nos fieri compores quam Christi gratia. Sana hæc est & salutaris doctrina quia quicquid ad vitam æternam consequendam requiritur, non nisi per Christi gratiam nobis confertur. Sed hoc melle ubi suos allexit lectores, mox admiscet toxicum. Sed non convenit inter omnes quomodo ad nos perveniat Christi vita. Quidam enim ita accipiunt, quoniam credendo Spiritum recipimus, qui nos in iustitiam regenerat, nos eiusmodi regeneratione salutem consequi. Sic sanè tota Scriptura Evangelica & Apostolica docet. Quid hic Calvinus? Ego autem quamvis hoc esse verum fatear, fide nos renouari, ut Spiritus Christi nos regat, primo tamen loco considerandam esse dico gratuitam peccatorum remissionem, qua fit, ut Deo accepti simus. Dico item, in hac sola totam salutis fiduciam esse fundatam esse & consistere: quia non aliter iustitia nobis coram Deo imputari potest, nisi dum peccata nobis non imputat. Hæc ille. Hoc eius toxicum est, quo vix pestiferum magis apparari potuit. Affirmat sic fide nos renouari, ut Spiritus Christi nos regat, quæ prophana & Scripturis insolens loquutio est. Non enim fide nos renouari, vsquam Scriptura dicit, sed Spiritu Dei nos renouari, passim Scriptura affirmat. Hic autem Spiritus Dei renouans ac regenerans in novam iustitiam, iam credentibus datur, nec fidei donum (quod iam acceptum est ut initium novæ creaturæ in Christo) sed charitatis donum largitur, ut fides per charitatem operans novam in Christo creaturam perficiat. Quare apud Paulum sy-